ipsa re approbes. quis sit iste deus quem uobis christiani quasi proprium
uindicatis. et in locis abditis praesentem uos uidere componitis;
nos etenim deos nostros luce palam ante oculos adque
aures omnium mortalium piis precibus adoramus.
et per suaues hostias propitios nobis efficimus. et a cunctis
haec cerni et probari contendimus; sed ulterius huic cer
tamini. me senex inualidus subtraho. et in sententiam
uirgilii
mantuani rethoris libenter pergo. trahat sua quemque uo
luptas; post haec non dubito uir eximie qui a mea sec
ta deuiasti. hanc epistulam aliquorum furto detrac
tam. flammis uel quolibet pacto perituram; quod
si acciderit erit damnum cartulae non nostri sermo
nis. cuius exemplar penes omnes religiosos perpetuo
retinebo, dii te seruent. per quos et eorum adque cunctorum
mortalium communem patrem. uniuersi mortales
quos terra sustinet. mille modis. concordi discordia.
ueneramur et colimus;

## INCIPIT EPISTOLA AGUSTINI AD MAXIMUM GRAMATICUM

Seriem[rio] ne aliquid inter nos agimus. an iocari libet nam
sicut tua epistula loquitur. utrum causae ipsius infir
mitate. [an] annorum tuorum comitate sit factum.
ut malles esse facetior quam paratior. incertum habeo;
primo enim olimpi montis et fori uestri comparatio
facta est; quae nescio quo pertinuerit. nisi ut me com
muneres. et in illo monte iouem castra posu
isse cum aduersus patrem bellum gereret. ut ea docet
historia quam uestri etiam sacram uocant. et in isto